Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/tractatusphysiol00vaen

TRACTATUS
PHYSIOLOGICUS
DE
PULCHRITUDINE.

Juxta ea quæ de Sponſa in Canticis Canticorum myſticè pronunciantur.

Authore ERNESTO VÆNIO.

Si quid vel diſcere, vel ignorare opus ſit, in Scripturis diſcemus. Chryſoſt. 2. ad Timoth. Homil. 9.

BRUXELLIS,
Typis FRANCISCI FOPPENS, propè Templum Societatis JESU, ſub ſigno S. Spiritus.

M. DC. LXII.

ILLUSTRISSIMO
NOBILISSIMOQUE DOMINO
D. JOANNI BAPTISTÆ
MAES,
Ordinis Militaris S. Jacobi Equiti, Domino de Steenkercke, &c.
PRIMO REGII ÆRARII
CONSILIARIO ET PRÆFECTO.

CUM his auſpicatis anni primordiis, clientum fervere ſtudia ſoleant, *Illuſtriſſime Domine*, ut patronis & iis à quorum pendent nutibus, animi devotionem & obſequia, vota quoque pro eorum proſperitate ac ſalute teſtentur. Ego qui Te à ſeriis quandoque feriantem, honeſtis ſtudiis oblectare, pridem in

votis habui, hoc Zeniolon ac levidense reverà munus, de Pulchritudine Sponsæ Salomonis, versibus & figuris, cum brevissimo Commentario illustratum mittere ausus sum. Quo in argumento veritus quidem fui, ne mihi objiceretur, me in alienam segetem falcem immisisse: sed cùm tantillum, id est quod decerpsi, ut integra seges permaneat; ego tamen sic tractavi, ut mysticos omittens sensus, literæ velut inhærerem, & arcanorum sensuum fontes aperirem. Quod autem Tibi dicatum velim, est quòd non uno, sed plurimis benevolentiæ Tuæ vinculis, Tibi, me obstrictum esse voluisti. Atqui hæc bonitas Tua atque sinceritas, quâ ostendis,

ceu

ceu innato familiæ Tuæ decore atque ſplendore, cum maximis virtutibus humanitatem certè conjungi poſſe. Parens Tuus, Ampliſſimus Sanctioris Conſilii Præſes, omni virtute, pietate, ac doctrinâ ornatus, Tuque pariter, parenti meo, ac mihi, quàm humani, quàm benevoli ſanè, ſemper extitiſtis. Illi igitur cum multum debuerim, nunc tamen & Tibi magis, quamvis non in me condignas gratias referre poſſe: quare illud Ovidianum mihi in tempore uſurpare liceat:

Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Perpetuuſque animæ debitor hujus ero.

Et profectò quis non miratur à natura heroïcam illam ac nativam ineſſe Tibi indolem, nec à prudentiâ moribuſque Tuis, virtutum ſeparari poſſe jubar? ego autem cum mores, cum ſapientiam, virtuteſque Tuas, novo cultu venerari conor, hæreo: non enim gloriæ, non luci, amplitudinique Tuæ, addere quid poſſum. Itaque ſcintilla ero, ſed exigua; & Te Solem meum ſuſpiciam: umbra ero, ſed tenuis, & lumine circumfuſa Tuo. Nihilominùs, ô & præſidium & dulce decus meum! Te venerabor ſemper. Igitur munuſculum hoc, benevolo ut accipias animo, rogo: Deus ſiquidem tribuentis animum, minimè verò donum conſiderat, quippè

Non

DEDICATORIA.

Non quantum dederis, ſed quantâ
mente dediſti,
Penſandum eſt, placat victima
parva Deum.

Quod autem ſacra hæc emblemata delinearim & his anni Calendis, Tibi offerenda, & Tibi & mihi decorum exiſtimavi, ut à Jove principium Muſæ deducerent. Denique ut hic anni curſus Tibi fauſtus felixque eveniat Deum Optimum Maximum obteſtor, ut Te incolumem, ſalvum, tutum ab omni diſcrimine, conſervet in multos ſequentes annos; Ita vovet & optat

ILLUSTRISSIME DOMINE

Clientum minimus ac humillimus
ERNESTUS VÆNIUS.

D. ERNESTO VÆNIO

Pro Tractatu Physiologico super Cantica.

Dum blandos Dominæ Salomon miratur ocellos,
Et teretes vultus ingenuaſque genas,
Cunctaque queis toto pendens abſumitur igne
Clamat, & illecebras non capit ipſe ſuas:
Clamat & ignotum mundo profitetur amorem,
Altiſonâ ludens carmina dia lyrâ.
Carmina quæ poſſint ipſos evertere ſenſus,
Ni timidâ cautè cum ratione legas.
Quæ vigil attentâ legeret cum Vænius *aure,*
Cerneret & ſanctos in Salomone jocos:
Ipſe verecundâ pertentans carmina fronte,
Ingenuâ tetigit ſenſa verenda manu:
Senſa manu tetigit. Quid jam non audeat? ecce
Materiâ felix quâlibet eſſe potest.
Quod potuit fecit. Nec frende Zoile: nam tu
Iſta licet rides, non tamen iſta potes.

LUDOVICUS BROOMAN.

TRACTATUS
PHYSIOLOGICVS.
DE
PULCHRITUDINE.

PROSA PRIMA.

Caput tuum ut Carmelus.

CUm omnia ad exhibendam teſtandamque originem unde proceſsêre, naturâ ſuâptè dirigantur: videmus quod occiput humanum ſe in altum porrigat, ut & quantò altius, tantò pulchrius exiſtimetur. Præcipuè verò cerebrum, ubi ſenſuum ſedes & intelligentia hominis, ac illa divinæ particula auræ, arce velut munitâ ſe continet: Neceſſariò, ſi ordo naturæ ſervetur, ad Cœlum quoad proximè licet, ſe efferat, oportet: nam ut canit Poëta:

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum.

Atque eapropter scribit idem, caput non in terram pecudum more abjectum, sed sursum ad Cœlum erectum, unde ipsi origo est, hominem fuisse sortitum; nam subdit:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, Cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Verum ista fusiùs ac locupletiùs Christianus Cicero, Lactantium intelligo: cùm, inquit, statuisset Deus ex

ex omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cætera universa terrena; hunc ad Cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit: scilicet, ut ea spectaret, unde & illi origo est; illa verò depressit ad terram, ut quia his nulla immortalitatis exspectatio est, ventri pabuloque servirent. Hominis igitur solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo Patri communis ac proximus, originem fictoremque testatur. Vt porrò Physiognomorum studium imitemur, facilè intelligitur, quod caput melius compactum ac præstantiori formâ à naturâ dotatum, figuram mallei vel Cameli habere debeat, in quâ pars anterior & posterior emineant. Tunc enim major vivacitas sensuum & intelligendi vis adest, augeturque virtus consiliativa & solertia, denique in homine magnificentiam, subtile ingenium, præclara omnia arguit & pollicetur. Ista pleraque



Realdus Columbus de re Anatomi-
„ câ: Cerebrum, inquit, inter huma-
„ ni corporis partes Principem locum
„ obtinet, ut situs ostendit, quòd in
„ altissimâ corporis parte Deus Opi-
„ fex collocavit, quasi in munitissimâ
„ arce, ut minus esset injuriis obno-
„ xium. Atque ita ut quo altius sese occiput habeat, ubi cerebrum detinetur, eò amplius subtiles, providi, circumspecti & ingenioſi: quò verò magis depressum id fuerit, eò hebetiores, pravo ingenio, deteriores, & ad præstantia minùs apti censeantur, vix enim, ac ne vix quidem, eo utuntur, idque propter sedis anguſtiam ſtuporemque, ita ut vim illud ſuam exercere nequeat, & ipſi, quasi non viventes, degant. „ Quò pertinent ejuſ-
„ dem Realdi iſta: Cerebri uſus miri-
„ ficus eſt, quod ſcilicet cùm ſenſus,
„ tùm motus principiũ exiſtit, quo ſi-
„ ne uſu ac exercitio, homo inſtar ſta-
„ tuæ, motus omnis, ſenſuſq; expers,
„ deteriori, quam bellua conditione

est. Prætereà cùm sedes sit animæ præditæ ratione, hincque locutio, societatis humanæ vinculum proficiscatur, quanta ex his aliisque actionibus, à capite bene constituto, velut fonte manantibus, utilitas proveniat, vel idiotæ ipsi norunt. Caput ergò tuum, ut Carmelus.

VERSUS.

Carmelus, alto vertice in Cœlum minax,
Geminum, bicaps ut Pindus, attollit jugum.
Talem, peritus capitis in sponsa probat
Salomon figuram: pulchra, ut & sapiens siet.

PROSA II.

Oculi tui Columbarum.

HOc Epithetum tribuit oculis sapientissimus Regum Salomon, propter rotunditatem sive orbicularem formam, quæ perfectissima cæterarum est; atque ita, ut si dicere videatur, inesse in oculis, quid divinum, cœleste, firmum & incorruptibile, propter carentiam angulorum, quomodo quidam locutus legitur Poëta:

Quam mihi cœlestes illi videantur ocelli.

Et aliter hoc modo:

Aspice sideriis ut blandum arridet ocellis.

Certè notius est, quàm ut pluribus explicari debeat: apud Veteres in

more positum fuisse, ut peracto sacrificio, sanguine victimæ, quem in vasculo superstitiosè collegerant, circà aram circulum ducerent: quam religionis suæ cæremoniam, uno verbo, perfectionem, nominabant: quod perfectissima omnium aliarum, teste Euclyde, figura isthæc habeatur; sicque adeò satis innuisse, ea posita, officium divinum ab omni parte completum ac consummatum esse. Quid? quod per hanc figuram, formam, seu circulum, Divinitatem atque æternitatem antiqui expresserunt? Id apud Ægyptios solemne, sed & aliæ gentes usurparunt, ut ex plurimis nummis videre licet, Romanos idipsum cum aliis sensisse: nam reverà principii & finis, qui non apparet, hieroglyphico, Deum vel divinitatem rectè designabant & intelligebant. Persæ quoque Jovem summum Deorum sacrificiis placantes, in altissimis locis id præstabant, eumque circulum mundi, magnis (ut crede-

credebant) præconiis inclamabant. Porrò eadem figura in Sole & Luna; aliis insuper Cœlum, aliis rursus universum significavit: notum enim est, quod circulus mundi, quem nos aliter Orbem appellamus, universa contineat & comprehendat. Hæc itaque figura cum hic commendetur,

proximi sunt & affines (quos vocanr) oblongi oculi & semicirculares, qui ad saporem aut tarditatem vergunt. Et hi mirum quam pictoribus

bus arrideant, ut etiam ferè eos rotundis præferant. Cujus causam esse arbitror, quod cum simile omne, appetat suum simile, & quæ superiora sunt fastidiat, rectè mortalibus placeat forma teres sive ovalis, quæ cadit & degenerat à rotunda, quæ perfecta ac divina est. Porrò hi oculi venusti oblectant, suaviantur, mordent & alliciunt, verba sunt Apulei: Tum illa ad me conversa limis & mordicantibus oculis. Et Poëta:

Cum nutum, Dominæ facit orbicularis ocellus.

Pariunt enim revera potentissimum amoris incitamentum, ac philtrum habent, ita ut eorum fulgor & amabilis intuitus quasi quodam morsu, vitalia populetur. Verum de oculis satis.

VER-

VERSUS.

Qualis in Idaliis acies eſt pulchra Columbis,
Simplex, læta, potens lædere amore, teres.
Talem conjugio gaudet legiſſe puellam
Rex Salomon; Chriſto ſed magè ſacra placent.

PRO-

PROSA III.

Nasus tuus sicut Turris Libani quæ respicit contra Damascum.

TUrris Libani videtur fuisse proportionis quaternariæ, quæ si rectè intelligatur, perfectissima poteſt judicari, juxta Pythagoræ, qui



proportionibus omnia metiebatur, ſcita & diſciplinam: Hinc & annus proportionatus ex quatuor tempori-

bus

bus dicitur, & mundus ex quatuor elementis, ex iisdem contemperati omnes mortales; denique si hic numerus per decem multiplicetur, infinitus est progressus. Præterea statura hominis quatuor cubitorum sit, oportet, tum quidem si ea magis vergat ad quadratum, hoc laudabilior apud pictores & statuarios habetur. Unde Cornelius Celsus refert, quod corpus quadratum sit ex omnibus magis habile, quando neque nimis macrum est, neque plus æquo obesum. Nam quamvis statura corporis longior & alta, benè conveniat juventuti eamque ornet: attamen talis citius senescit, & terram versus se flectet, uti Philosophi ajunt, & quotidie experientiâ oculorum discimus. Hujusmodi conditione corporis testatur fuisse Julius Capitolinus, Antoninum Pium, qui ad tegendum & prohibendum illud vitium stomachum ventremque ligabat præforti cingulo. Cæterum scitu & animadver-

versione hîc opus, quod perfectus naſus decem partes ſive proportiones æquales contineat, modo pars angularis aliqua ſive quadrata ad circularem formam dirigatur: quod non niſi per cognitionem quadraturæ circuli & duplicationem cubi fieri vel intelligi poteſt. Subtili igitur deſcriptione dicitur: *Naſus tuus ſicut Turris Libani*; non quod idcircò ejuſcemodi fuerit, qualem irridet Martialis:

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.

Aut quaſi fuerit ordinario major; verùm inſignis proportio laudatur, qualis tunc in homine præ cæteris partibus, faciem formoſam aut maximè deformem reddit. Porrò præcellit naſus magnus, eâ quâ dictum eſt proportionis, ſive aquilinus, ſi-

ve





ve rectus, qui signum exhibet magnanimitatis & sapientiæ, sive denique aduncus. Demum meminisse oportet antiquos in more habuisse uti fortunam globo innixam depingere, ita sapientiam quadro insidentem, hanc intelligentes mobilem, illam constantem & stabilem: quæ proprietates aptè conveniunt, mobilitas atque agilitas oculis, naso verò & ciliis severitas quædam & seriæ gravitatis Imago.

VERSUS.

Quæ pars in facie prominet, optimâ
Proportione extollitur.
Æque nil decorat, ludibrio aut patet,
Quàm parva pars hæc corporis.

PRO-

PROSA IV.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis.

VIdetur à Salomone sic in laudis encomium fuisse sumptum propter planitiem in maxillâ, triangularem formam ex parte faciei figurantem, quæ ad constitutionem pulchræ formæ planè requiritur. Est hæc volatilibus arguta species ferè communis, præcipuè tamen Columbis & Turturibus. In quadrupedibus quoque reperitur animalibus, veluti in Equis formosis. In hominibus verò etsi non vulgare satis est, propriissimum tamen ut in rege animalium esse deberet. Certè cum à principio ea fuerit humani corporis pulchritudo, quanta esse potuerit, successu temporis imperfectior ac longè inferior fuit: quæ tamen non eo usque dejecta est, quin



chritudine & venuſtate cætera animantia ſuperet : nam non à principio, ut dixi, ſed ſecundum tempus illa mutatio ſubinducta fuit in humanum genus ; Mutari verò per tempus, inquit Magiſter ſententiarum, eſt variari ſecundum qualitates interiores vel exteriores, quæ ſunt in ipſa re, quæ mutatur : ut quando ſuſcipit viciſſitudinem gaudii, doloris, ſcientiæ, oblivionis ; vel variationem formæ, ſive alicujus qualitatis exterioris, ut hîc in quæſtione tractatur. Itaque poſt lapſum Adæ dicunt Theologi, monſtra turpeſque formas contigiſſe, tanquam generalis imperfectio quædam, quæ eſſet pœna peccati in omnibus corporibus & creaturis, excepto Chriſti corpore Salvatoris, qui ſpecioſus formâ præ filiis hominum appareret & deprehenderetur. Licet enim dicatur in Canticis Canticorum : *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quod etiamſi paſſim Theologi & Scho-

Scholastici aptent ad Immaculatam Deiparæ Conceptionem: nam quemadmodum spinis, non læditur aut fuscatur Lilii candor, ita nec peccato læsa aut fuscata fuit Beatæ Mariæ Virginis animæ pulchritudo. Attamen nostro etiam proposito adaptari potest, de ejus pulchritudine corporis. Legimus enim: *O pulchra inter mulieres.* Et rursus: *O pulcherrima mulierum.* Tum & alibi: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Demum alio loco: *Pulchra es amica mea, suavis, & decora.* Et quidem sanctus Nazianzenus in Christo patiente, ita eam compellat: *O Virgo formæ, quæ nitore cæteras præis!* Addit Divus Thomas, eam fuisse Virginis pulchritudinem, ut licet eximia, intuentes non nisi ad castitatem excitaret. Imò refert rem mirabilem Divus Ambrosius: *Tanta*, inquit, *erat ejus gratia, ut non solum in se virginitatem servaret, sed etiam si quos inviseret, inte-*

gritatis insigne conferret. Itaque ut ad rhombum redeamus, *Pulchræ*, inquit, *sunt genæ tuæ sicut Turturis*, quod illa triangularis forma satis humanâ in facie placeat. Imò verò Pierius Valerianus in suis Hierogliphicis, pro symbolo humanitatis eam proponit, quæ propria quædam virtus est hominibus. *Neque enim ab humo dictus homo*, ut putat Varro, *quoniam id commune est cum omnibus animantibus, sed à concordiâ & societate vivendi.* Est enim homo omnium animalium maximè sociabilis, & quia idem inter omnia animalia morti obnoxia maximè mitis est, idcircò humanus, pro facili, miti, & tractabili accipitur, undè & humanitas, Etymon sortita est, quam Græci φιλανθρωπίαν vocant, quasi amorem in homines. Denique tales & Columbæ & Turtures, maximè & inter volatilia suaves, sociabiles & mites, neque modo inter se, sed & cohabitatione cum homini-

minibus penè domesticæ & familiares.

VERSUS.

Est in Turturibus forma genarum,
Quam possit Salomon tollere laude.
Nec credo lacrymas hunc voluisse,
Quæ currunt superis dulciùs illac:
Ipsi sed placuit forma trigona,
Simplex, ingenuo tincta pudore.

PROSA V.

Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ.

ITerum de genis, quæ breviter discutîmus, forsan hoc dictum à Salomone propter insignem & jucun-

cundum colorem purpureum aliquantum mixtum albore, quæ mala Punica intus habere conſpicimus, & propter quæ, aſpectu jucundiſſima, & in pretio eſſe nobis ſolent. Deinde malum Punicum cum coro-

næ inſigne foris in vertice oſtendat: authoritatem, præſidentiam, imperium denique præ ſe fert, ut idcircò olim Junoni dedicatum fuiſſe credatur, quaſi præſidi regnorum. Talis illius ſtatua, unâ manu illud pomum, altera

altera tenens sceptrum, à Polyclete facta Mycenis visebatur, ut scribit Pausanias. Atque eandem ob causam cum Carthago esset præsidio & tutelâ Junonis celebris, coronati ramis mali Punici sacrificia flamines perficiebant, & in festis considebant. In eandem sententiam hoc alterum legimus: *Sicut cortex mali Punici, ita genæ tuæ.*

VERSUS.

Punica mala gerunt extus insigne coronæ,
Regno aptas dotes, scilicet intus habent.
Est rubor & candor, dulcedo rigorque saporis;
Tales, quæ nubunt Regibus, esse queant.

PRO-

PROSA VI.

Sicut vitta coccinea labia tua.

VIdetur hoc usurpasse Rex Salomon inprimis propter colorem illum insignem rubeum sive coccineum, quo puritas complexionis, & impermixtionis turbati sanguinis denotatur: nam lividitas labiorum contrarium insinuat, deficit enim illic virtus sanguinis, & naturalis calor: ac præter hæc vitium aliquod & morbus inficit semper talia labia habentes, quem præsertim in moribundis lurorem observamus. Ergò *sicut vitta coccinea labia tua.* Ut Poëta Interpres esse posse videatur, cum canit:

Qui fuit in vultu, labiis rubor amplius instat,
Pingit & immixtus punica labra nitor.

Porrò



Porrò quod ad formam attinet labiorum, perfectiora sunt subtiliora, quæ scilicet utrimque & in superiori parte & inferiori satis proportionem habent, si verò in extremitatibus laxentur & magis pateant, magnanimitatem præseferunt, quemadmodum in Leonibus & Molossis observare licet. His addimus quia legitur alibi: *Favus distillans labia tua:* quæ apud Poëtas sæpe commendantur, ut quod sint succi plena & plura alia:

Jubè isthæc tibi basiem labella,
Succi plena, tenella, mollicella,
Isthæc dico labella mollicella.

Quæ tamen ut ab honestate plerumque deviantia, non magnopere moramur aut æstimamus.

VERSUS.

Regum, cocco rubricante, comas,
Vitta coërcet: sic tua vinclo,
Sponsa, rubenti, labra ligantur.
Talis placeat forma puellæ,
Sanguinis undans flumine puri:
Quæ vel studio taciturna silet,
Solasve rosas mittit ab ore.

PRO-

PROSA VII.

Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro.

HAnc dentium cum ovibus similitudinem, ideò Rex Salomon feciſſe comperitur, quod dentes ut

placeant, candidi ſint oportet, incorrupti, atque æquales, non ſecus ac oves æquali plerùmque magni-

tudine ſunt ac minùs tumultuariè quàm cætera animantia, incedentes. Mirum quam dentes candidi exornent faciem, præſertim ſi non debilitati vel mutili aliqua ex parte, idque ſive loquuntur homines ſive rident. Idcircò additum; quæ aſcenderunt de lavacro; quaſi velit innuere, tàm illos candidos, pulchros ac jucundos, quàm oves quæ primum lotæ mox tonſæ nativum colorem recuperarunt. In eandem ſententiam, alibi ait: *Dentes tui ſicut greges ovium quæ aſcenderunt de lavacro.* Porrò hoc pulcherrimum ac ſponſarum præcipuè ornamentum, omne ſcriptorum genus ſuis encomiis proſecutum fuit: Orator Cicero, *Candiduli dentes, venuſti oculi, color ſuavis.* A Poëta quoque vel ipſis margaritis comparantur, inquit enim ille:

Quid margaritas dentium præcandidorum proloquar?

Et

Et certè si promiscuè omnes hinc honestantur, & splendescunt facies, potissimùm tantùm id in mauris ac iis qui fusco sunt colore usuvenit: de quibus Salomon usurpavit, ut indicat postea illis verbis. *Nolite considerare me quod fusca sim, &c.*

Versus.

Jam ter oves mersit Corydon in flumine puro,
Velligerosque tulit stringenti forcipe floccos.
Quam nivei densique greges ad pascua currunt,
Exuviisque agiles positis: sic copia dentium
Albentum tibi densa, alacri se promere risu
Sponsa solet; facilique cibos transmittit hiatu.

PROSA VIII.

Capilli tui ſicut greges Caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad.

CApilli Caprarum ſeſe in morem undarum jactant, habentque venuſtiorem & elegantiorem formam

quam qui demiſsè aut recto modo defluunt. Hi enim terreſtres ac graves naturâ dicuntur, uti contrà omnia

nia sursum tendentia vivacitatem & alacritatem indicant, quo modo hominum effigiem & staturam respectu brutorum animalium superius explicavimus. Eâ igitur similitudine, capilli in se nullam pulchritudinem ha-

bent, quo in genere laudat Poëta tortulos capillos:

Miratur modo tortulos capillos.

Hocque studiosè pictorum gens observat & in usus suos referre solet; ut

inquam capilli undarum formâ fluentes venuſtatem & pulchritudinem corporum exprimant atque amplificent. In quâ eâdem pictoriâ arte, omne quod rectum eſt, parvi fit, & odio habetur. Quæ quidem principiorum ſive axiomatum inſtar apud iſtos prædicantur. Præter hæc notum eſt, ut Capræ libenter paſcunt in montibus, in quibus per præcipitia diſcurrunt, non rectâ lineâ, verùm undarum more ſe vibrantes, præſertim ſaturæ dum ſerò domum revertuntur. Quo referri & alludere iſta videntur: *Sicut greges Caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Forte etiam Salomon caput univerſum monti comparat, in quo velut vagæ & capillo undanti capræ, partes omnes occupant; ita nulla in omni capitis ſponſæ angulo calvities, ſed gratum fluens intortum non arte ſed naturâ ubique capillitium. Quomodo loquitur Poëta:

Qui

Qui solet intonsos sertis ornare capillos.

VERSUS.

Summis culminibus petulca ramos
Frondentes Capra vellicare gaudet.
Plures, rupibus inviis, inhærent,
Vix lato digiti unius locello,
Creber, quasque fluens capillus ornat.
Talis sponsa comâ placet perenni,
Per totum caput extimamque frontem,
Non hirtâ, ast placidâ, vacâque & aptâ.

PROSA IX.

Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.

LAudari certè à nigro seu fusco colore potuisset sponsa, nisi videretur hanc causam ipsa prætexere excusationis, quia se decoloravit Sol. Ex quo porrò voluit nos ipsa colligere, quod semper intenta fuerit actioni & laboribus, præsertim villicis sive rusticanis, quo in genere plerumque ustos à Sole tinctosque agricolas conspicimus, dum æstivo tempore messem cæterosque fructus coacervant, quando maximè fervet, & vigorem Sol habet. Nihilominus color ille fuscus si à naturâ insit, cum ex motu animi ad subrubeum aliquali mixtum albore tendat, fortes & animosos indicat. Color verò vehementer albus virtuti est contrarius, & ignaviæ indicium, talesque phlegmatici

matici omnes & frigidi, atque meticuloſi, nam color ille elementum aquæ refert, & ut Phyſici dicunt, corruptionem. Contrà quam de igneo colore ſentiunt, quo Sol ſublunarium ſeu terrenarum rerum generationem, quaſi univerſale principium & cauſa efficit. Idemque hoc ſignificabat Ægyptiorum hoc ſymbolum: ut Solem & Lunam non modo uno curru vehi, verùm & una navi dicerent; hoc ad rerum generationem & naturam

ram referentes, quæ cum virtute aquæ, tum maximè igne solis nutrirentur ac foverentur. Proindè hoc dictum Sponsæ: *Nolite me considerare, quod fusca sim*, cum illo altero componamus: *Nigra sum sed formosa*, proque omni commentario sufficiat illud Ovidii de Andromedâ attulisse:

——— *Placuit Cepheia Perseo*
Andromade, patriæ fusca colore
suæ.

VERSUS.

Dum sub furenti sedula Sirio,
Phœbiq; sudat sponsa caloribus:
Formam nigredo fusca vastat,
Et speciem populatur omnem.
Excusat ergò, non ebur aut rosam
Inesse malis, nec teneros sinus.
Quid te molestas, virgo! Regi
Gratior est color iste, luxu.

PRO-

PROSA X.

Vox enim tua dulcis est.

DIctum jam de dentibus, sed non illud, quod unum ex instrumentis sint quæ ad vocem efformandam requiruntur; enumerat verò cum istis cætera hoc carmen:

Instrumenta novem sunt: guttur, lingua, palatum,
Quattuor & dentes, & duo labra simul.

Porrò cum multimoda ac mira sit humanæ vocis edendæ varietas, vox dulcis & suavis sine tensione violentiâve prompta, mansuetos ac quietos denotat, adhæc sapientes, providos, veraces, ac justos. Nam si ad acutiorem sive remissiorem vergat, timiditatem & invidiam aliave vitia indicat, ex frigiditate strictura arteriarum

rum & paucitatem ſpirituum, accidere arguens. Vocis autem eam dulcedinem multâ amplificatione Poëtæ ornant & melle, organo, Sirenum cantu, aliiſque inſtrumentis comparavêre: exempla ſunt, quorum parcus eſſe cupio:

Verbaq; melliflua talia voce refert.
Mollior Hyblæis eſt tua lingua favis.
Sirenas vincere poſſe putes? &c.

VER-

VERSUS.

Organa, cannæ,
Mollis Aëdon,
Cannus Olorq;
Dulce susurrant.
Sed tua cunctis
Gratior odis,
Vox tua melle
Dulcior omni;
O mea sponsa!

PROSA XI.

Sicut turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea.

PErfectiſſimam formam colli ſtatuunt proportionis eſſe binarii à mento ſcilicet uſque ad extremita-

tem colli verſus pectus. Binarius autem apud pleroſque pro mortis habetur

tur symbolo, & significatur utrumque mors, nimirum & binarius per filium fractum, teste Pierio Valeriano. Nota est fabula de tribus Parcis, quarum tertia Atropos filum incidere dicitur, id est, binarium numerum efficere, seu separationem corporis & animæ: nam ita Aristoteles de vita & morte. Mors est recessus animæ à corpore; sive ut alius: Mors est animæ ac corporis dissolutio, quæ necessariò omnibus creaturis, nedum hominibus accidat oportet: quam ob causam Plato Parcas necessitatis filias nominavit in duodecimo dialogo de republica: similique usus dicendi genere Horatius:

Omnes una manet nox
Et calcanda semel via lethi.

Et idcircò forsan propugnacula, quæ humeros sive scapulas reor, sermonem prædictum respiciunt, ut quæ dicitur ædificata esse cum propugnaculis,

culis, *mille clypei pendent ex ea*: Intelligatur tot à naturâ dotibus contrà binarium numerum sive mortem munita, ut contrà ejus assultus quasi invicta persisteret. Alibi legimus: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Quod cum explicari possit, primò quod ebur cum sit purissimum: Collum sponsæ innuere velit nitidissimum & purissimum: sed magis illud voluisse arbitror, quod ebur quoque sit durissimum, & simili modo Collum ejus quasi turris fortissima atque adamantina interitum non expaveſcat. Postremò quod ait iterum, *Collum tuum sicut monilia*: Omnia exponi posse existimo, de maximâ quæ ex sponsæ pendebat collo, ornatus muliebris varietate, opibus & pulchritudine. Nam neque Salomoni aut Regibus Ægypti deesse eæ divitiæ gemmæque poterant, quibus abundamus, qui frequentes, in Orientis Indiam talium feracem, navigationes instituebant.

VER-

VERSUS.

Qualis Jessiadæ turris ahenea
Davidis, clypeis versicoloribus
Solares radios luce reverberat;
Pallentes tenebras noctemque discutit:
Collum sic vario, sponsa, tuum, nitet
Ornatu, lapidum quo pretiosior
Exultat numerus: Chrysolithis, ubi
Sapphiri, atque Onychi, Jaspis, & Æmuli,
Decertant sociis ignibus, anthraces.

PROSA XII.

Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.

ISTud à Rege Salomone ſumptum & dictum apparet, quod hinnuli ſeu juniores cervi atque capreoli uti

ludibundè ſaltant, in ſeque ſaltitando incurrunt ac invicem impetunt. Ita vitali ſpiritu ubera plerumque in ado-

adolescentulis puellis turgeant, sintque quasi duo capreæ gemelli ludentes & salientes ob sanguinis eo immissi seu spirituum subsultantium suavitatem. Eandem ob causam videtur alibi dixisse: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ.* Et iterum: *Pulchriora sunt ubera tua vino.* Nam præstans ac generosum vinum, cum in vitrum infunditur, in altum salire oppositio vitro, ad aërem conspicitur. Quo tandem etiam referri potest istud, alio dicto prolatum: *Vbera tua botris assimilata.*

VERSUS.

Hinnuli, Cervæ, Capreæve nati
Candidi, molles, lepidi, petulci,
Cornuum summa tuberante pube
Lusibus instant.
Sic tuæ, Virgo mea lux, papillæ
Dulciùs vino sapidæ, faviſque,

In botros crescunt tumidos; amorum
Tempora crede.
Innocens lusus solet esse amantûm,
Quos pharetratus tetigit Cupido,
Ille, non spurcæ Veneris, sed alti
Germen olympi.

PRO-

PROSA XIII.

Statura tua assimilata est Palmæ.

NUnc Salomon suæ Sponsæ staturam laudat. Sciendum autem, quod Plinius & Solinus terminos longitudinis ac latitudinis huma-

ni corporis nondum descriptos esse testantur. Physici verò longitudinem humani corporis naturalem, septem

pedum esse asserunt, scribuntque Herculem intrà hunc terminum fuisse compertum, eadem quoque est latitudo: nam quantus, manibus expansis, inter longissimos digitos modus est, tantum esse constat inter calcem & verticem, atque id quidem mathematicè. Hâc proindè ratione veteres, hominem Μικροκοσμον, sive parvum mundum appellavêre: si enim circulus duceretur, esset perfectè homo sphæricus. Quare qui hanc longitudinem excedit, hîc longus corpore dicitur, qui ab hâc deficit, parvus est, cujus autem longitudo aut latitudo non sunt æquales, is incompositus nominatur. Semper igitur partium quantitatem cum respectu medii & ad totius mensuram, referre oportet. Hæc est autem palmæ structura, unde comparatio desumpta est, ut stipes gradato sit compactoque cortice, seque squammatim subeunte: supernè autem effundat se coma in coronæ circulum, palmitibus

bus inter ramos enascentibus. Hebræi eum circulum vocant *Halulab*, Arabes *Chedar* vel *Gemar*: quo corrupto, palma, uti homo capite cerebrove læso emori & interire solet. Rami præterea cum in formam manuum sint extensi, fructusque similes digitorum, unde *Dactyli* nominati: nulli oneri rami succumbunt, sed nativâ quâdam ingenuitate contrà pondus nituntur impositum. Quâ quidem structurâ & formâ quid magnificentius, cum & regium decus imitata palma, in vertice similitudinem coronæ exprimat, ubi & medulla inest, quasi cerebri, quâ læsâ intereat. Imò & sensus quoddam genus imitatur: nam nota est pictura Philostrati, quâ pontem suprà rivum ex palmarum ramis exhibuit. Cum enim una palmarum masculus, altera femella sit: mas femellam attrahere, femella mari velut ad congressum se inflectere videtur: Ita ut hâc ratione pons ex palmis à Philostrato

pro hieroglyphicâ matrimonii notâ positus & pictus fuerit. Verum hæc de multis sufficiant, neque enim sermonem extendendi finis aliquando esset.

VERSUS.

Si victoria nobilis,
Palmæ perpetuæ fronde, tegit comas:
Si ritu veteri hæc virens
Arbor, dextra notat, prælia symbolum,
Omnes, sponsa, viragines,
Jucundis melior vultibus anteis;
Ævi seu viridis modum,
Alti seu speciem corporis intuor.
Felix vive, tui potens,
Nec vanis animos fastibus arrige.
Quando forma bonum breve, &
Laudatas sequitur sæpe superbia.

PRO-

PROSA XIV.

Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.

HIc post partes laudatas, collectim, de toto sermonem facit Rex Salomon; *Tota pulchra es amica mea.* Qui totum dicit nihil excipit; ergò sine maculâ pulchritudo; forma sine nævo admirabilis. Neque enim

enim tantùm ſingularium partium venuſtas hic commendatur corporis, verum etiam compoſitio optima apertè innuitur, ut unaquæque pars, quantum ad totum & totum quantum ad unamquamque partem ſe habet, perfectiſſima forma & figura eſſe intelligatur. Eſt enim ſecundùm Ciceronem pulchritudo corporis, quædam optima figura membrorum inter ſe cum coloris ſuavitate. Quod quia in perpaucis hominum undique omni ex parte reperitur, jure ſcripſit Divus Auguſtinus: *Pulchritudinem corporis, bonum Dei donum eſſe.* Quod autem Cicero ait, cum coloris ſuavitate, temperiem intelligit & commixtionem gratam colorum. Quæ quidem in arte pingendi noſtris ferè temporibus primas obtinuiſſe videtur, ut non mireris ſi tantum, ipſis in corporibus eſtimetur. Ut autem conſtitutionis optimæ ideam velut aliquam deſignem vel effingam: Ille præclaræ &

me-

melioris censetur temperaturæ qui carnes habet molles, humidas, mediocres inter asperitatem & lenitatem. Non nimis longus nec brevis nimiùm, albus declinando ad rubedinem, vel ad non multam nigredinem : mitis aspectu, capillis planis, mediocribus, majoribus oculis vergentes ad rotunditatem : mediocri & mensurato corpore, cum magnitudine colli bene dispositi æqualiter, cujus humeri parùm ac concinnè declinant, carens in cruribus & genibus nimiâ carne, claræ vocis temperatâ subtilitate, cujus aspectus est quasi ex lætitia & jucunditate compositus. Quæ singula in eodem reperire corpore, optabile magis quàm ordinarium. Et hæc pauca ex sacris literis emblemata decerpsisse ac delegisse sufficiat : ne quod oblectationi paratum, longitudine importunâ displiceat.

VER-

VERSUS.

Qualis in arce nitet radiis argentea Phœbe,
Viſibus & recreat ſubdita quæque ſuis:
Talis tu bona ſponſa, mihi rutilantior omni
Sidere, & invidiæ vix habitura modum.
Nam licet & plenos oſtentet Cynthia vultus,
Non vacui nævo luminis illa caret.
Tu cunctis perfecta modis, nota vultibus omnis
Deficit, & totos forma venuſta regit.

FINIS.

APPROBATIO.

TRactatus Physiologicus de Pulchritudine, *juxta ea quæ de Sponsa in Canticis Canticorum mysticè pronunciantur*, *Authore Consultissimo Domino* ERNESTO VÆNIO, *nihil continet fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium, adeoque typis excudi posse censui. Bruxellæ* 30. *Aprilis* 1658.

J. CERON Pastor B. Mariæ de Cappella Archipr. Bruxell. Lib. Cens.